Literæ
REGIS POLONIÆ,
ad
REGEM BORUSSIÆ,
De
CURLANDIÆ,
GEDANENSI
itemque
PRUSSIÆ NEGOTIO,

de dato Frauſtadiæ 16. Martii 1719.

Cum reſponſoriis ad eaſdem

Berolini, die 28. Aprilis e. a. datis.

Nos Auguſtus II^{dus}
Rex &c.

ULtimis reſponſoriis Berolini 21. Januarii, anni præſentis datis Majeſtati Veſtræ ſtimulati, aperto ſinceroque animo contenta earundem eò libentius reſolvimus, quo magis amicitiam veram candidamque absque ullo receſſu ſartam tectamque inter Nos ac dominia noſtra religioſe conſervare deſideramus, reciproca Nobis de Majeſtate V^{ra} certo pollicentes. Cogitata ſive propoſita Majeſtatis V^{ræ} cum ſua Czarea Majeſtate ratione Succesſionis in Ducatu Curlandiæ ac Semigalliæ in caſum deceſſus Ducis Ferdinandi ſine prole maſcula in Marchionem Brandenburgico-Suetenſem derivandæ, nec à Nobis, nec à quopiam ullatenus probari multo minus excuſari queunt, obſtantibus evidentibus in contrarium Legibus primævorum Pactorum, Subjectionis, Incorporationis, Formulæ Regiminis, aliorumque jurium Clarisſimorum Regibus Poloniæ ac Ordinibus Reipublicæ ſervientium, vigore quorum ſicut directum & ſupre-

 mum

mum Dominium in antecessum, ita utile, fructuosum & usuale post sterilem obitum prædicti Ducis absque ulla reservatione vel facultate novi instituendi Principis Feudatarii ad Nos, totamque Rempublicam devolvi ac spectare incontestabiliter dignoscitur, exclusa prorsus cujuscunque & quacunque prætensa Successione, quæ neque sub colore quasi paris meditationis Nostræ in promovendo Principe Weissenfeldensi, cognato Nostro, neque sub prætextu acquirendarum cessionum à viduis Principissis Curlandiæ affectari per quempiam potest; Nam quoad meditationem nostram, ingenue fatemur Majestati Vrae, Nos partim ad excludendam à longe prævisam Majestatis Vrae prætensionem, partim ad complacendum Czareæ Majestati, quæ id in signum majoris amicitiæ à Nobis desiderabat, partim denique ex propensione naturali, quâ commodis eorum studere solemus, qui sangvinis vinculo Nobis juncti sunt, aliquos passus innoxios incrementis Reipubl. semperque ad arbitrium & decisionem illius remissivos suscepisse, urgentibus nimirum solicitis precibus Nobilitatis Curlandiæ, idque exemplo Prædecessoris Nostri, Sigismundi Augusti I., qui in Albertum Marchionem Brandenburgicum, Nepotem suum ex filia Casimiri IV. genitum, Ducatum

Prussiæ nunc in possessione Majestatis Vrae durantem Jure Feudi derivavit, mediante beneplacito Reipublicæ; Insuper opinabamur, facilius præferendum à Republ. casu, quo novum feudum vellet concedere, Principem Weissenfeldensem Marchioni Brandenburgico-Suetensi tanquam minus metuendum gravemque futurum Regno Poloniæ; Cumque Respubl. ex ea consideratione, ne potentiorem reddat Domum Majestatis Vrae, huc usque Regium titulum recognoscere differat, quomodo sperari possit, ut accessioni Curlandiæ tam considerabilis provinciæ non resistat? Quod vero ad prætensiones Viduarum Principissarum Curlandicarum attinet, has liquide & manifeste demonstrabitur, vel nullas, vel insubsistentes esse, vel si aliquae prævio examine & forma judicii comperirentur, inventuram Rempubl. per Administrationem Justitiae ad instantiam Prætendentium media accommodationis: Quemadmodum minime dubitamus, ita confidimus consummatæ perspicaciae Majestatis Vrae, quod attentis Nostris tam validis & firmis repræsentationibus non solum memor anteriorum beneficiorum Antecessorum nostrorum, & Reipubl. primum Lineae Albertinae, deinde Lineae Electorali Prædecessorum suorum gratuita munificentia liberaliter

præstitorum, verum etiam ex reflexione insuperabilium difficultatum ac attrahentium incommodarum ad invicem consequentiarum à cogitationibus ulterioribus, convertendae Curlandiae in novum Feudum non tantum desistet, sed totaliter supersedebit: Sciens pro certo, prætactam provinciam neque dari, neque accipi salva Republ. posse, simulque persuasa, idem Nos facturos, qui amorem Reipubl. charitati Sanguinis Nostri anteponendo potius incrementa subditorum Nostrorum, quam Nostra augere, solaque utilitate civium gloriam Nostram metiri decrevimus.

Quantum attinet Gedanenses, non expediebat illos Majestati V^{rae} tanquam proprios subditos mandatis imperativis ac comminativis satis aliunde afflictos affligere & obligare ad satisfactionem propriis incolis, non servata nec petita prius justitia per ordinariam formam Processus Juridici in prima instantia, & deinde in suprema apud Nos, tanquam Directum Dominum omnium Civitatum Regni, sine quo gradu prius præmisso Jus repressaliorum de more Gentium censetur esse illicitum, & si illud à subditis Majestatis V^{rae} attentaretur de facto, permissum quoque foret nostris vicem pro vice

vice reddere. Longe potiore Jure subditos Majestatis V^{rae} simulque Nostros intuitu eventualis vel actualis homagii, vigore Dominii directi literis Nostris intimatoriis potuimus solari, indagantibus, nonne patiantur aliqua gravamina vel præjudicia in suis juribus ac libertatibus contra nexum pactorum, nihilominus ob respectum non alterandae amicitiae Majestatis V^{rae} tantisper eam diligentiam dissimulavimus; De cætero Majestati V^{rae} omnigenam prosperitatem &c. Fraustadiae die 16. Martii 1719.

Ad Regem Borussiæ.

Fride-

Fridericus Wilhelmus
Rex &c. &c.

REdditæ Nobis ſunt iteratæ a Maj^te^ V^ra^ de dato Frauſtadiæ 16. Martii nuperi, Noſtris de 21. Jan. reſponſoriæ literæ, & quod in ipſo earum initio expreſſum eſt, „amicitiam veram candidamque, absque ullo receſſu ſartam tectam inter Nos & Dominia Noſtra reciproce conſervandi Maj^tis^ V^ræ^ deſiderium tantò lubentius excepimus, quantò magis, firmoque propoſito Noſtro parem amicitiæ cultum jugiter referendi, illud reſpondere profitemur;

Ea, quæ ſequuntur, quo minus expectata, eo graviori ſenſu animum noſtrum affecere, averſam Maj^tis^ V^ræ^ à Nobis & quaſi infenſam voluntatem aperientia, cui tamen cauſam aut occaſionem vel leviſſimam præbuiſſe non recordamur.

Enim vero, cum in omnibus tum in eo, quod præcipue urgeri animadvertimus, Curlandiae negotio, à mente Noſtra longe alienum ſemper fuit, quicquam ſuſcipere, quod Maj^ti^ V^ræ^ displicere nedum quod dispendium inferre, aut in detrimentum Reipublicae cadere poſſet: Quod cum verbis ſæpius fuerit explicatum, ipſoque facto hactenus comprobatum, dolemus merito contrarias in Nos ſuſpiciones per omnem Poloniam divulgari, & innoxiam intentionem Noſtram, iniquis interpretationibus in ſenſum præpoſterum detorqueri.

Quae cum apertis rumoribus differantur, ut latere Nos pariter ac alios omnes non poſſint, ipſa neceſſitate poſtulante adducti, Declarationem in publicum typis edidimus, qua cum univerſos tum præcipue inclutam gentem Polonam inſidioſis inſinuationibus eorum, qui nobis in Polonia offenſionem quærunt, præoccupatam, ab errore nitimur revocare. Ejus declarationis exemplum Maj^ti^ V^ræ^ mittimus, neque quicquam dubitamus, ſi propoſita inibi argumenta penitus expendere placuerit, quin de Nobis æquiores & in benigniorem partem inclinantes ſenſus concipiat.

Illud autem maxime ſua novitate animum Noſtrum perculit, quod in prædictis literis Maj^tas^

„ V^{ra} profitetur, non expedire, potentiorem reddi „ Domum Brandenburgicam, eaque de causa „ Regium Nostrum Borussiae Titulum recogno- „ scere Rempublicam hucusque distulisse, quanto „ minus igitur sperari posse, ut in accessionem „ Curlandiae consentiat.

Sane nunquam Nobis cogitatum nedum propositum fuit, Curlandiae Ducatum acquirere aut Prussiae annectere eaque accessione virium & potentiae incrementa Nobis accersere. Contrarium omnino è Pactis cum Tzarea Maj^{te} à Nobis initis elucet, quibus expressa stipulatione cautum est, ne Ducatus Curlandiae unquam ullove tempore in accessionem sive Prussiae, sive Ditionum Tzareae Maj^{tis} concedere possit, utut à Rege & Republica Poloniae in Marchionem Suetensem clientelari jure fuerit collatus:

„ Præterea libera hujusmodi & aperta denun- „ ciatio, non esse ferenda incrementa Domus Bran- „ denburgicae, sed iis se officere velle & debere, „ æternis, quae cum Republica Poloniae Domui Brandenburgicae intercedunt, Pactis, invitis omnino fit & reclamantibus, quippe quae diserte postulant, alterius partis utilitates & commoda ab altera pari studio ac sua propria, utrinque esse promovenda.

Qua fide id à Nobis & Majoribus Nostris præstitum, quamque impense Regni Poloniae securitas, conservatio & incrementa quæsita fuerint, cum complura alia, tum nupera, ante paucos annos suscepta à Nobis Stralsundensis expeditio loquitur, quae tanto sanguinis & opum dispendio a Nobis peracta est, eo præcipue fine, ut Sueciae Regis, novissime defuncti pertinax propositum, quod tunc agitabat, in Poloniam denuo perrumpendi ferroque & flammis cuncta miscendi, interverteretur.

Eadem mens, eademque in Maj^{tem} V^{ram} & Rempublicam Poloniae constans & propensa voluntas Nobis durat ac durabit, ut amicum nobis Regnum præ cunctis Europae, in florentissimum, opulentissimum & potentissimum statum, Nobis lubentibus & lætantibus, &, si quid possumus, etiam adjuvantibus, provehatur. Ex adverso confidimus, non invitis illis nec invidentibus fore, quae à Deo & fortuna in Domum Brandenburgicam derivabuntur qualiacunque emolumenta.

 Quod

Quod ad debita Civitatis Gedanensis attinet, si ad ea præstanda illam pro authoritate compellere placeat Maj^ti^ V^ræ^, Nobis id quoque non displicebit. Verum super liquidis & ab ipsa civitate agnitis nominibus longas litium ambages inire, &, quod Maj^tis^ V^ræ^ literae insinuare videntur, per plures instantias prosequi, id vero nihil aliud esset, nisi Creditoribus infinitos sumtus & moras accersere, & in effectu ipsas sortes exhaurire velle, id quod tanquam oppidò durum & iniquum ab æquissimo & generoso Ipsius Maj^tis^ V^ræ^ animo improbari certi sumus.

Ceterum haud satis assequimur, quid sibi velint aut quorsum tendant, quae in fine literarum, „de Nostris simulque Maj^tis^ V^ræ^ subditis annectuntur. Equidem subditos Nobis esse, qui pariter Maj^ti^ V^ræ^ subjecti sint, aut in quos cuiquam præter Nos qualiscunque potestas competat, prorsus ignoramus. Neque Prussiam Nostram, uti quidem apparens est, indigitari opinamur, nisi forte non satis memoriae obversantur, quæ per tenorem Pactorum, Poloniam inter & domum Brandenburgicam super ea re provisa sunt.

Horum vigore Prussiae Brandenburgicae incolae universi jurejurando, quo secundum antiquam formam Regi & Reipublicae Poloniae, ex capite subjectionis obstricti fuerant, plene integreque exsolvuntur & liberantur: Quae vero ex præscripto jam memoratorum Pactorum, recens concepta est jurisjurandi formula, in solennibus homagii, quoties id in Prussia exigitur, observanda nihil continet, quod subditis Prussiae Brandenburgicae subjectionem Regi & Reipublicae Poloniae juxta imponat, neque aliam obligationem infert nisi, si quando, Divina providentia ita ordinante, Domus Brandenburgica deficiat, ut tunc demum, nequaquam vero ante hoc tempus, Regnum Poloniae suspiciant & ad antiquum obsequium revertantur. Consequenter igitur, & per disertam sæpius memoratorum Pactorum expressis verbis factam dispositionem, in præsentia & quamdiu Nos Posterique Nostri superenrunt, singulare & supremum in Prussiam Dominium optimo jure Nobis asserimus, terrasque Prussiae summa & absoluta potestate habendi, possidendi & regendi facultatem Nobis vindicamus, cessantibus quibuscunque nexibus & oneribus, quibus olim Regno Poloniae Prussia Nostra obnoxia fuit, neque præter unum Deum, cui

cui propterea reſpondere aut rationem reddere habeamus, agnoſcentes.

Hæc autem, ſi erga alios quoscunque tum maxime erga Maj^{tem} V^{ram} valere perſuaſi ſumus, ut Ei fas non ſit, inquirere, quibus modis, quibusve rationibus terrarum Pruſſiae Regimen à Nobis inſtituatur, in tantum, ut ipſis pactorum dilucidis „verbis ſtatutum cautumque ſit, ne ad Rempu-„blicam Poloniae ullæ querelæ è Pruſſia deferan-„tur, neve delatæ ab ea admitti poſſint aut de-„beant.

Quod ſi Reges Poloniae, V^{ræ} Maj^{tis} Anteceſſores, quam illis gloriam merito tribuimus, & ipſa Maj^{tas} V^{ra} hoc caput pactorum in illibata obſervantia hucusque conſtanter habuere, eandem in Maj^{te} V^{ra}, & Republica Poloniae fiduciam ponimus, porro quoque fore, ut à norma ſæpius dictorum pactorum, in hoc pariter ac in reliquis articulis recedere in animum nunquam inducant. Eandem obſervandi & firmiter tenendi conſtantiam à parte Noſtra viciſſim pollicemur, ſpemque lætam concipimus, hac potiſſimum ratione, Divina benedictione accedente, mutuam Regentium, & qui ab

eis

eis reguntur, populorum benevolentiam, vigorem denuo recepturam, ingentia in utrosque commoda & beneficia redundatura & in ſucceſſores poſterosque perſeveratura, id quod ſinceris votis expetentes, Maj^{ti} V^{ræ} omnimodam proſperitatem apprecamur. Dabantur Berolini, die 28. April. A^{o} Chriſti MDCCXIX. Regni Noſtri VII.

Ad Regem Poloniae.

II Hist. Russ.
b, Provinciar.
Curland.